R/ 5. F.8. 1658.

Perillustris domine

LUGD. BAT. BIBL.

Quod Hagâ non ita pridem, cum essem in procinctu, te insalu-
tato discessi, minus recte atque ordine, imo præter decorum
planissime factum fuisse, inficias non eo. Sed equorum agita-
torem aurigam heroem, sed Mercurialem aliquem hominem,
Amstelodamensem qui currum meum conduxerat, illum lucro
inhiantem, huic iter eadem haud dubie spe, usque et usque ur-
gentem, in causa fuisse adeo ut paratus, licet impransus
e vestigio esse debuerim, Samuel noster Hulsius, prolixe
potuit testari cui et in mandatis dedi ut meam apud te,
æquissimum judicem pariter ac patronum, causam ageret.
Quod autem quis per alium facit, ipse, ut ait regu-
la Iuris, facere videtur. Quapropter, si fidem, ut
nullus dubito, invenerit Hulsius, negligentiæ aut rusti-
citatis crimine prius absolutum me fuisse confido, quam ac-
cusatum. Quin tam sollicita vix opus fuisse reor excusatione cum jam
a viginti propemodum annis constet, quam constanter obser-
vans vestræ sim dignitatis, adeo ut neminem post Parentem,
τὸν μακαρίτην, et amaverim merito et coluerim impensius.
Expectas haud dubie jamdudum quid in ingentis et molis
et momenti Poëmatum tuorum volumine perlustrando
præstiterim animadvertering. Verbo dicam quod res est.
aliena curiositas instituto hactenus meo remoram injecit.
Cum enim nullum, præter meum, Hornæ in mundo adhuc
sit exemplar, Dii majorum gentium, aut si mavis qui in qua-
tuordecim sedent principes hujusce civitatis, prætor sum-
mus, Dnus Braddenhovius, cultissimæ vir eruditionis, Consu-
les unus et item alter, Niropii, alii οἱ πονηροὶ κόμψα-
λοι, omnes homines, qui sese student præstare cæteris
animantibus certatim commodato petiere, adeo ut cyanorum
tuorum fragrantissimo etiam media hyeme allecti odore

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5569

eos domesticatim usui essent, me possessore, imi subsellij viro propter summam et authoritatem virorum et amicitiam, res meas repetitum ire non ausso; donec obviam mihi forte facto, qui haec reddet, viro et amico optimo, Theodoro Pottio, Jcto et Consulari filio, operam, si quid Hagam vellem suam offerente, ad Poëtam quendam, Petrum Rabbodem, quo utor familiarissime, et penes quem tum erat exemplar meum contuli, aviditatique ejus, alias tantum non inexsaturabili, injecta manu, dixi, id quod res erat mihi operae pretium esse, ut oblata hac scribendi facultate (quam frustra hic propter mare glacie constrictum, saepe quaeras) perlustratum mihi ex parte, et perlustratum iri porro quam diligentissime κὶς κατ' ἔκαστα, tibi significarem. Παρορώματα sane quam multa Typographica jam nunc hinc inde, oculo jacente animadverti. Quorum indicem contexam, ut recepi, accuratissimum. Authorem autem atque opus an satis collaudent nostrates, fugerem? quis Herculem unquam, imo Apollinem, tu inquam sanus vituperaverit? rapit omnes in sacris religiosisque tuis carminibus illa divina atque argumento par ubique eluceus gravitas, pondus atque majestas, adeo ut quod de Boëthio in Hypercritico suo Criticus divinus Julius Caesar censebat, neque densitas sententiarum tenorem, neque acumen abstulerit ardorem. Munifice quoque neminem non afficiunt illa, (quo in genere inter superstites solus regnas, nam Hugo quoque ille τετραμέγιστος nihil non potuit) tua, liceat et mihi ὀνοματοποιεῖν ὠκυστικά. propter incomparabilem, ~~pr~~ inimitabilem tuam semper in rebus verbisque elegantiam, nervositatem, et ab inexpectato profluentem argutiarum non simplicem Maeandrum. Haec, aut hisce consimilia illi οἱ λοιποί. Quid autem tuus dicat matris meae filius, si quaeras, mutus ilico. Nunquam enim ille (me vide) tam sibi suffinius erit, ut omnia verba sua, quantumvis forent magnificentissima, intra merita tua quam longissime subsidere non fateatur.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5569

Nudius admodum tertius, quando cum Vibono meo, ex febri decumbente, non Dionysia sed pervigilium (non Veneris tamen) agitabam, eiq; totam prope noctem insomnem ducenti tuam Trijntje CORNELIS, quæ bono marito suo cornua, non Bacchi quidem illa, sed per Bacchum tamen imprudens appinxit, a capite usq; ad calcem prælegebam, risimus affatim uterq; ad lassitudinem magis, quam satietatem. Et videris, profecto, non pharmacis, non venæ sectione, sed vena tua poëtica præsentissimam, licet absens, medicinam viro poëtæ fecisse, eo quippe ex tempore melius meliusq; indies imo in horas, haberi cepit, ad exemplum Medici forte cujusdam; dum enim serio satis ægrotantem, viso, quem in deliciis habebat, simiolo, catapotium, quod sibi mitteri jusserat, epotante, ac mox, Claudii divi ἔπεσεν ὡς μωρός adinstar, delicate admodum ac suaviter se concacante, in quicquid est cachinnorum effusum repente convaluisse, cumq; hoste sua, nisi aliis bellum faciat, diva Hygiëa, in solidam gratiam rediisse, ajunt, dicunt, perhibent.

Est et hic Brabantina quædam causarum apud nos patroni uxor, quæ in ista meretrice Antuerpiensi, castam, scilicet puritatem, atq; adeo Atticam sermonis materni sui elegantiam summa cum voluptate agnovit et tantum non exosculata est. Sed hæc quidem hactenus. Cæterum o vir optime, o auree apud Auriacas aureas Principes causæ meæ patrone, licetne, quia epistola non erubescit, aurem tibi Cynthio meo vellere et optimi sperare de aureo Principe mihi destinato? Libet certe, ita ἄλλεταί μοι ὀφθαλμὸς ὁ δεξιός, et nescio quid mihi animus præsagit boni. Ubi eo tot votis petito numismate potitus ero, Sublimi feriam sidera vertice.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5569

Het nemen waer oock niet soo Princelick als 't geven.
Maer, soo papier, in plaets van geldt, bij u wat geldt,
Papier, niet met de handt meer dan met 't hert beschreven,
Lijdt dat mijn penn' u dan twee regeltjes toe stelt;

GOD GEEV' V DEVGHDEN-KROON, DIE HIER EEN PRINS BETAEMEN.
DE KROON DER SALIGHEYT IN'T EEVWIGH NIEVW-IAER:

AMEN.

Henrick Bruno.

1. Jan. oud. Styl 1658.

in hoc felici omine desinens plurimum te tuosque valere jubeo, et ut me non nummatum quidem, sed nummo insignitum, quantum quidem in te est, facere melius rogo, quodque utinam vero et Torquatum aliquando facere posses! omnibus quantum est, Mecaenatibus, per me quidem Corvinus esse liceret. Sed jam finem mihi transilijsse pudoris videor. itaque manum de tabula.

Hornae propriâ. Cal. Febr. CIↃIↃCLVIII. Tuus nota manu ac mente.

H. B.

Pottius meus, si quid vel ipse, vel per Nobilissimorum doctissimorumque filiorum aliquem rescribere dignaberis, optime vestras curabit.

Addo carmen amici mei magni, meae minoris famae tuae praeconis, atque ingenij aestimatoris Kuysseri, meumque ad idem responsum. In utriusque calce tuum versiculum pariter atque acumen, non invitus, cum authore meo, in notis istis suo carmini subjectis, unde hauserit, sit publice testatus editor, spero, agnosces.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5569

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 114
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5569